



UC-NRLF

DE TANAGRAEORVM SACRIS
QVAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES


AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

CAROLVS BVSLEPP

BVTTSTADIENSIS



IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MDCCCCI

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Gelzer.

Jena, den 13. Juli 1901.

Professor Dr. G. Linck,
d. Z. Dekan.

De cultibus, locis, institutis Tanagraeorum sacris acturo non ab re visum est nonnulla de urbis historia et casibus praemittere et explicare in universum, quonam fere tempore singuli cultus sint recepti.

Tanagraei, quorum urbs in sinistra Asopi ripa sita erat, donec Graeci libertate fruebantur, participes fuerunt foederis Boeotici, cui addictae erant Thucydide (4, 93) teste Thebae, Plataeae, Tanagra, Thespiae, Haliartus, Coronea, Orchomenus, Copae. Attamen eaedem urbes non semper in illo foedere fuerunt, sed pro fortunae vicissitudinibus, quibus singulae urbes subiectae erant, modo alia urbs viribus fracta, modo alia erat diruta aut ab aliorum stetit partibus. Tanagram una cum Thebis solam invenimus in illius foederis catalogis semper inscriptam.

Cuius urbis vestigia ad antiquissima ducunt tempora, quibus Parasopiam tenebant [1]) Grai, quorum caput fuisse videtur, cum urbis nomen syllaba ταvα-praefixa derivatum sit a Graiorum nomine. A quibus incolis in honore habebantur Ceres Achaea, cui Graeae quoque cognomen fuit, Amphiaraus, qui deus chthonius inter illos peculiari fruebatur veneratione, Dioscuri, quorum religio inter gentes vetustiores erat amplissima.

Sed cum ex Thessalia Aeoles in eam terram, quae postea Boeotia nominata est, descendissent et cum incolis vetustioribus de finibus decertarent, non eandem sortem

1) Meyer, Gesch. d. Alt. 2, § 124; Wilamowitz, Herm. 21, 97 sqq.

habuit Parasopia. Nam ea loca, quae spectabant ad septentriones, brevi Aeolum sunt facta; contra ea regio meridionalis, quae sita erat circum Eleutheras et Melaenas, finibus Atticorum Graios propinquos adiuvantium adiuncta est. Plataeae denique et Oropus Atticorum auxilio liberae permanserunt. Quam ob rem non est mirum, quod inde ab illo tempore Plataeenses ab Atheniensium partibus plerumque stabant. Oropus autem varios perpessa est casus, cum modo esset libera, modo Boeotorum, modo Atheniensium.

Contra Grai, qui tenebant Tanagram, Aeoliis perpetuo resistere non potuerunt. Quo factum est, ut urbs fieret Aeolica. Iam Corinnae tempore, ut ex illius poetriae carminibus discimus, urbs prorsus fuit Boeotica. Nam finibus nomen est datum Boeotiae, incolis Aeoliis Boeotorum.

Sed cum Aeoles[1]) obtinerent urbem, non est mirum alios deos in urbe esse celebratos. Deus illorum peculiaris fuit Mercurius. Neque vero defuit Neptunus[2]), Aeolum deus longe amplissimus. Praeterea alienos receperunt deos, ut Apollinem, Dianam, Latonam ab Ionibus, Narcissum[3]) et Orionem ab Euboeis. Orion enimvero coniunctus est in fabulis Tanagraeis cum Baccho et Peliadibus. E quibus Maea, Mercurii mater, summo in honore habebatur cum patre Atlante. Bacchi autem cultus non sine Thracibus[4]), qui habitabant apud Heliconem montem, videtur propagatus esse, quippe qui peculiares coluerint Bacchum et Musas, quae numina etiam in fabulis huius urbis coniuncta sunt. Ceterum heros ille, quem prae ceteris gentibus venerabantur Aeoles, Achilles non est neglectus.

A Pseudo-Dicaearcho Tanagraei omnium Graecorum maxime pii fuisse traduntur et Pausanias eam potissimum ob

1) Mueller, Orch. p. 391 sqq.
2) Pausan. 9, 20, 1; Gilbert, Götterl. p. 451 adn. 2.
3) Strabo 9 p. 404 C; Hoefer: Roscher, Myth. Lex. Narkissos.
4) Mueller, Orch. p. 379/391; Rohde, Psyche 2, 8 adn.

causam religiosos fuisse eos dicit, quod uno [1]) loco omnia deorum sacra a rebus profanis secreta super hominum domicilia (9, 22, 2–3) exstruxerant. Ubi erant sita fana Liberi, Themidis, Veneris, Apollinis una cum matre et sorore culti, Mercurii Criophori et Promachi (cf. Hermann, Ant. § 15, 3). His de quaestionibus uberius egerunt Leake (Northern Greece 2, 454 sqq.), Ulrichs (Annali 20, 6 sq.), Bursian (Ber. d. Sächs. Ges. d. W. 1859, 112 sqq.; Geogr. v. Griechenl. 1, 218) qui etiam tabulam geographicam adiecit. Praeterea ab eodem Ps.-Dicaearcho [2]) laudibus efferuntur, quod iusti fuissent, hospitales, simplices, tenaces, laboriosi, pii, ut viatores tota Graecia tantum apud illos secure possent deverti.

Quaestiones de Tanagraeorum sacris ita institueram, ut singulos deos deasque secundum litterarum elementa tractarem. Sed cum longum sit totam nunc edere commentationem, tres quaestiones quae sunt de Mercurio, Libero, Apolline, selegi reliqua alio et tempore et loco additurus.

---

1) Paus. 9, 22, 2: *Εὖ δέ μοι Ταναγραῖοι νομίσαι τὰ ἐς τοὺς θεοὺς μάλιστα δοκοῦσιν Ἑλλήνων· χωρὶς μὲν γὰρ αἱ οἰκίαι σφίσιν, χωρὶς δὲ τὰ ἱερά.*

2) Ps.-Dicaearch. (Mueller, Frgm. H. Gr. 2, p. 258, 8): *Ὁδὸς . . . παντὸς καθαρεύουσα τοῦ ἀπὸ κλωπῶν φόβου . . . . οἱ ἐνοικοῦντες . . . δικαιοσύνην, πίστιν, ξενίαν ἀγαθοὶ διαφυλάξαι . . . . πάντων τῶν Ἑλλήνων θεοφοβώτατοί εἰσιν.*



De Mercurio.

Mercurii apud Tanagraeos religio antiquissima esse videtur, cum desint vestigia, unde concludi possit alio ex loco eam Tanagram translatam esse. Praeterea moneo eam tam fuisse singularem et unicam, ut prorsus reicienda sit opinio eam aliunde receptam esse affirmantium. Quem deum aetate antiquissima sub lapidis specie etiam Tanagrae adoratum esse veri simile est (cf. Meyer, Gesch. d. Alt. 2, § 63), cum conservaretur religionis antiquioris memoria lapis (Plut. qu. Gr. 37): *Ποίμανδρος . . . ἔτι τῆς Ταναγραϊκῆς κατὰ κώμας οἰκουμένης . . . τὴν Ποιμανδρίαν ἐτείχισε . . . ὥρμησε λίθον ἐμβαλεῖν αὐτῷ μέγαν, ὃς ἦν . . κεκρυμμένος ἐκ παλαιοῦ, νυκτελίοις ἱεροῖς ἐπικείμενος.* Sed cum paulatim sub aliis speciebus dei celebrarentur, ille quoque lapis a nobilibus neglectus et tantum ritibus arcanis in honore habitus esse videtur.

Etiam imagines antiquissimae Mercurii Tanagraeis fuisse videntur. Huc accedit, quod ipsi Tanagraei gloriati sunt sua in urbe deum esse natum et adolevisse. Quo pertinet hic Pausaniae (9, 20, 3) locus: *Ἔστι . . . ὄρος Κηρύκιον, ἔνθα Ἑρμῆν τεχθῆναι λέγουσιν, Πόλος τε ὀνομαζόμενον χωρίον· ἐνταῦθα Ἄτλαντα καθήμενον πολυπραγμονεῖν τά τε ὑπὸ γῆν φασὶ καὶ τὰ οὐράνια.* Ex eodem loco sequitur etiam avum Tanagrae celebratum esse. Alterum quoque locum, quo traditur deus Tanagrae educatus esse, praebet Pausanias (9, 22, 2): *κεῖται δὲ ἐν τοῦ Προμάχου τῷ ἱερῷ τῆς ἀνδράχνου τὸ ὑπόλοιπον· τραφῆναι δὲ ὑπὸ τῷ δένδρῳ τὸν Ἑρμῆν τούτῳ*

νομίζουσιν. Fuere igitur vel Pausaniae aetate in templo reliquiae arbuti, cuius fructibus deum nutritum esse fama tulit. Quam ob rem etiam in nummis Tanagraeis repraesentatus erat stans prope arbutum sacram, cuius in cacumine Iovis ales sedet. Sed cur arbutus potissimum Mercurio Tanagraeo sacrata sit, difficile est dictu. Schwenck (Etym. Myth. And. 133) arbutum, quippe quae arbor esset humillima et humi quasi serperet, maxime fuisse idoneam putat, quae sacra esset Mercurio Chthonio. Sitne autem in honore habitus deus Tanagrae Mercurius Chthonius, infra disceptaturus sum.

Nunc de loco natali nonnulla sunt addenda. Natus esse fertur Mercurius in monte Cerycio. Cuius montis nomini certe est aliquid commune cum caduceo *κηρυκεῖον* quod dicitur. Scholderer (Tan. Ant. Spec. p. 55) putavit monti illi nomen datum esse a similitudine, quae montis formae cum caduceo fuisset. Equidem existimo nec huic nomini Cerycii montis nec Poli nomini maiorem vim tribuendam esse, at montem sic appellatum esse ab eo symbolo, quod notissimum erat Mercurii, peculiaris Tanagraeorum dei. Quo montis nomine ductus Schwenck arbitratus est Mercurium Tanagraeum fuisse praecipue praeconum numen. At quamquam varias per formas deus colebatur, minime eum praeconum deum fuisse demonstrabo.

Duplicem dei religionem Tanagrae fuisse Pausanias (9, 22, 2) tradidit: *Ἐς δὲ τοῦ Ἑρμοῦ τὰ ἱερὰ τοῦ τε Κριοφόρου καὶ ὃν Πρόμαχον καλοῦσι, τοῦ μὲν ἐς τὴν ἐπίκλησιν λέγουσιν, ὡς ὁ Ἑρμῆς σφίσιν ἀποτρέψαι νόσον λοιμώδη περὶ τὸ τεῖχος κριὸν περιενεγκών, καὶ ἐπὶ τούτῳ Κάλαμις ἐποίησεν ἄγαλμα Ἑρμοῦ φέροντα κριὸν ἐπὶ τῶν ὤμων· ὃς δ' ἂν εἶναι τῶν ἐφήβων προκριθῇ τὸ εἶδος κάλλιστος οὗτος ἐν τοῦ Ἑρμοῦ τῇ ἑορτῇ περίεισιν ἐν κύκλῳ τοῦ τείχους ἔχων ἄρνα ἐπὶ τῶν ὤμων. Τὸν δὲ Ἑρμῆν λέγουσι τὸν Πρόμαχον Ἐρετριέων ναυσὶν ἐξ Εὐβοίας ἐς τὴν Ταναγραίαν σχόντων τούς τε ἐφήβους ἐξαγαγεῖν ἐπὶ τὴν μάχην, καὶ*

αὐτὸν ἅτε ἔφηβον στλεγγίδι ἀμυνόμενον μάλιστα ἐργάσασθαι τῶν Εὐβοέων τροπήν. Vel triplex cultus fuisse videtur, nisi aliter explicatur Tzetzae adnotatio (680) ad Alexandram Lycophronis: Φαιδρὸς δὲ μεταληπτικῶς ἀντὶ (scilicet Mercurius) τοῦ λευκοῦ· καὶ γὰρ παρὰ Βοιωτοῖς Ἑρμῆς λευκὸς τιμᾶται· πολεμούμενοι γὰρ Ταναγραῖοι ὑπὸ Ἐρετριέων ἐσφαγίασαν παῖδα καὶ κόρην κατὰ χρησμόν, κἀντεῦθεν ἱδρύσαντο Λευκὸν Ἑρμῆν.

Ac primum quidem tractaturus sum de Mercurio Criophoro. Cuius cognominis originem inde ductam esse memoriae proditum erat quod fama tulit deum arietem in humeris portantem circa urbem liberasse urbem a pestifero morbo. Cuius facti memoria die Mercuriali festo, quicumque pulcherrimus urbis adulescens esse videbatur, ut olim deus, arietem in humeris circa urbem portavit. Plerique viri docti putarunt morem et cultum ex illa narratione fluxisse. At longe alia interpretatio mihi quaerenda videtur, cum non fabulam illam, immo morem antiquiorem esse arbitrer. Quo ex more recentiore tempore ratione illam narrationem deductam et fictam esse mihi persuasum est. Duas autem res in cultu permixtas esse puto aetate recentiore, figuram Mercurii pascuorum tutoris et deum lustrationis, qua Mercuriali festo populus deo urbis peculiari sacrari solebat. Qua in re diutius versandum esse video.

Mercurium praecipue deum pastorum fuisse satis constat, multisque locis demonstratur eum gregibus et vita pastoricia gaudere; quam ob rem cognomina νόμιος, ἐπιμήλιος, εὔγλαξ ei tribuebantur [1]). Itaque in Arcadia, quae terra prae ceteris fuit terra montium, pastorum, rei pecuariae, maximus pastorum fuit deus. Cur potissimum cum ariete coniunctus sit [2]) Mercurius, a Pausania (2, 3, 4)

---

1) Roscher, Windgott p. 75 sqq.
2) Hoefer in Roschers M. L. s. Kriophoros.

discimus: *χαλκοῦς καθήμενός ἐστιν Ἑρμῆς, παρέστηκε δὲ οἱ κριός, ὅτι Ἑρμῆς μάλιστα δοκεῖ θεῶν ἐφορᾶν καὶ αὔξειν ποίμνας..., τὸν δὲ ἐν τελετῇ Μητρὸς ἐπὶ Ἑρμῇ λεγόμενον καὶ τῷ κριῷ λόγον ἐπιστάμενος οὐ λέγω.* Quapropter etiam in Carnassio luco, qui situs erat in Andaniae finibus (Paus. 4, 33, 4) Mercurius Criophorus una cum Apolline Carneo in honore habebatur: *θεῶν δὲ ἀγάλματα Ἀπόλλωνός ἐστι Καρνείου καὶ Ἑρμῆς φέρων κριόν.*

Ergo vidimus Mercurium illo loco participem matris deorum mysteriorum, hoc loco coniunctum cum Apolline Carneo. Accedit, quod Andaniae titulus celeberrimus (Sauppe: Abhdl. d. Gött. Ges. d. W. 8, 233, 32; 239, 70) repertus est: *καὶ θυσάντω τᾷ· μὲν Δάματρι σῦν ἐπίτοκα, Ἑρμᾶνι κριόν, Μεγάλοις θεοῖς δάμαλιν σῦν, Ἀπόλλωνι Καρνείῳ κάπρον, Ἁγνᾷ ὄϊν.* Praeterea aries habebatur pro symbolo gregis.

Neque vero fingebant hunc Mercurium regalem aut virum nobilem, sed semper ipsum pastorem, arietem modo lacerto, modo humeris portantem, modo secum ducentem. Et cum Pseudo-Dicaearchus (Mueller, F. H. G. 2 p. 257, 9) de Tanagraeis tradiderit: *πάντες γεωργοί, οὐκ ἐργάται,* praeterea autem aliud Tanagrae nomen Poemandris sive Poemandria fuisse dicatur, valde quadrant ea verba ad deum pastoricium; nam ex illis Ps.-Dicaearchi verbis colligendum est Tanagraeorum magnopere interfuisse prata et pecudes et armenta pinguia reddi; quam ob rem rei pecuariae in illa veneratione explicanda maxima vis tribuenda esse videtur. Die autem Mercuriali solemni Curtius (Ges. Abh. 1, 54) statuit totum populum deo denuo sacratum esse. Quo cum festo expiationem coniunctam fuisse veri simile est: at contendam eam recentiore demum aetate ritibus sacris esse additam. Etiam Pausaniae narratio ratiocinatione nata esse videtur ex ritu illo quem quotannis institui videbant.

Moneo autem in nonnullis regionibus etiam nunc in Sanctorum festis oppidorum quorundam fines circumiri, ut

denuo terra eorum tutelae credatur. Quod bene cum adulescente pro deo ipso urbem cirumveniente conferri potest.

At vero plerique viri docti aliud quicquam ritui illi subesse putabant (cf. Hoefer, L. M. l. c.).

Roscher (Hermes der Windgott p. 79) Pausaniam illo loco egisse existimavit de sacrificio ambarvali, quo morbi pestiferi ex aëre perdito enati removerentur. Nam ei Mercurius deus peculiaris ventorum esse videtur, quem a Tanagraeis invocatum esse putat, ut ventis acribus morbos pelleret, sicuti saepenumero aër purgatur a ventis (cf. Lucr. 6, 1122; 1134).

Lauer autem (System d. Gr. Myth. Litt. Nachlass 2, 406) et Schwenck (Myth. And. 122) arietem circumlatum solis et pluviae symbolum existimant, et Conze (Heroen p. 34) monuit adulescentes pellibus agninis indutos Pelium montem pluviam petituros ascendere consuevisse.

Stephani denique (Compte r. 1869, 105) affirmavit artissimo vinclo coniunctas esse capras et tempestates, arietes et nubes (cf. Nephele-Phrixos). Quam ob rem etiam ventis et tempestatibus agnae et caprae mactatae sunt (cf. Aelian. de nat. anim. 7, 8; Artemid. onirocr. 2, 12).

Gilbert (Gr. Götterl. p. 218 sqq., 428 sq.) docuit Mercurium initio deum fuisse obscuri, tum nubium factum esse et saepenumero eum nubes significare. Itaque, cum significet aries nubem, Mercurius ut deus obscuri eam solet ferre et aestate ex illa pluvia ad solum tostum demissa etiam pestiferas aestatis (cf. Horatii ep. 1, 7, 5 sqq.) auras mittit. Ideo viro illi doctissimo religio ad aestatem ferventem spectare videtur et aetatis antiquioris esse. Et quod iuvenes Tanagraei arietes, Mercurii, dei nubium et divitiarum symbola, circa moenia ferre solebant, id ea ratione Tanagraei instituerant, ut denuo in annum futurum deus nubes praeberet et fertilitatem.

Denique, cum de Mercurio deo pastoricio, deo divitiarum, ventorum, medico (ἀκάκητα) egerimus, aliud insuper commemorandum est. Nam cum, ut demonstravi, Andaniae et Corinthi particeps fuerit mysteriorum, facile cogitari potest hoc quoque loco de mysterio quodam agi. Quod autem fabulam sacram Pausanias memoriae prodidit, non est mirum, quippe qui aliorum quoque sacrorum arcana acceperit (cf. 2, 3, 4).

Omnia autem argumenta, si perlustraverimus, intellegemus in duas partes disponenda esse; aut Mercurius ille putabatur tutor gregum, aut deus venti, nubium.

Ille autem adulescens, qui arietem in humeris circa moenia ferebat, pro civibus pluviam aut ventos petiisse videtur a Mercurio; contra fama tulit eum pro Mercurio urbem circumvenisse in memoriam rei iam commemoratae. Quam ob rem etiam dei symbolum ferebat, arietem; nam ipse deus fingebatur aries (cf. Pan.). Sed cum dei symbolum portaret, ipse deus putabatur, id quod tantum sacerdotibus accidit, ut Minervae Pellenensis sacerdoti (Polyaen. 8, 59), quae deae armis ornabatur. Attamen huic loco propinquum est illud Aristotelis (de rep. Ath. 14) testimonium, quamquam non de ritu sacro agitur: (Μεγακλῆς) . . . *προδιασπείρας γὰρ λόγον, ὡς τῆς Ἀθηνᾶς καταγούσης Πεισίστρατον, καὶ γυναῖκα μεγάλην καὶ καλὴν ἐξευρών* . . . (cf. Herod. 1, 60) . . . *στεφανόπωλιν Θρᾶτταν τὴν θεὸν ἀπομιμησάμενος τῷ κόσμῳ, συνεισήγαγεν μετ' αὐτοῦ, καὶ ὁ μὲν Πεισίστρατος ἐφ' ἅρματος εἰσήλαυνε, παραιβατούσης τῆς γυναικός, οἱ δ' ἐν τῷ ἄστει προσκυνοῦντες ἐδέχοντο θαυμάζοντες* (cf. Hermann, Ant. II², 220).

Pergo nunc ad Mercurium Promachum. Pausaniae verba, quae ad eius religionem pertinent, iam commemoravi. Vulgari narratione traditur Mercurius, cum Eretrienses navibus peterent urbem, cum adulescentibus adulescentis figura induta strigili armatum hostes fugasse. Cui rei veram hanc rem

subesse Gruppe (p. 73) et de Wilamowitz (Hermes 21, 105 sqq.) arbitrantur: inde a saeculo VII. vires civitatum Eretriae et Chalcidis valde erant diminutae propter aemulationem illarum urbium, quae magnam Boeotiae partem dicionis suae fecerant. Cuius aemulationis memoria servatur narratione belli Lelantii, quo illae urbes maritimae omnes continentis terrae colonias amiserunt. Attamen sitne huic bello re vera narrationis origo tribuenda an vi Promachi cultus coniunctus sit cum bello omnino, dubitatur. Gilbert enim ex rebus naturalibus nomen explicandum esse censuit. Contra Welcker (Gr. Götterl. 2, 451) ex hoc bello religionem Promachi Mercurii enatam esse putavit; sed hoc modo rem interpretatus est. Memores enim huius belli Tanagraei instituerunt illam dei venerationem, ut adulescentes ad virtutem incitarentur. Qui cultus non nisi forma differt ab cultu Mercurii ἐναγώνιος qui dicitur. Quod si statuamus, ille Mercurius celebratus sit ut πρόμαχος ἐφήβων aut antistes gymnasii. Quod veri est simillimum, cum aliis quoque locis palaestrae et gymnasia ab eo instituta esse dicerentur; cuius imaginibus et epigrammatis gymnasia erant ornata et multis in urbibus certamina puerorum et adulescentium festis dei celebrabantur (cf. Synes. ep. 31; Cic. ad. Att. 1, 10; Horat. carm. 1, 10). Cuius in dei templo monstrabatur illa arbutus nisi quod tantummodo reliquiae supererant. At erravit Gerhard (Myth. § 271, 3[b]) cum scriberet deum in Cerycio monte natum et arbuto illa tectum esse.

Sed tertium praeterea et quartum nomen deo Tanagrae fuisse traditur; quamquam concedi posse non videtur illa nomina significare novas religiones. Qui locus eo pertineat, iam commemoravi; scilicet Tzetzae (adnot. ad Lyc. Alex. 680), ubi φαιδρὸς sive λευκός appellatur.

Sed cum neque Pausanias nec quisquam alius scriptor illarum dei formarum nec sacri cuiusdam mentionem fecerint, Tzetzes autem propter idem factum deum ita cogno-

minatum esse tradiderit propter quod Promachus appellatus erat, colligi potest aut tres illas formas congruere, in qua re id vero mirum est, quod Pausanias praeterierit illam enarrationem de liberis mactatis, aut illas formas Tzetzae errore Tanagraeis attributas esse. Huc accedit, quod ignoramus, unde Tzetzes fabulam hauserit. Sed videamus, possitne fieri, ut illae figurae cum Promacho conferantur.

Φαιδρός cognomen facile potest explicari; nam cum Mercurius sit antistes palaestrae, in qua adulescentes unguentis nitebant, non iam de significatione cognominis dubitari potest. Quod cognomen idem sibi velle ac vocabulum *λευκός* scholiasta dixit. *Λευκός* significat hoc loco idem atque in Iliade (5, 503), ubi de pulvere sermo est; atque cum luctantes in palaestra pulvere spargantur, ut candeant, valde quadrat Iliadis locus ad hanc significationem. Neque minus placet mihi altera explicatio, quam Euripidis Bacchae (664) praebent, ubi de pede agitur; eo loco *λευκός* idem exprimit atque nudus. Quam ob rem fieri potest, ut Mercurius Promachus cum his cognominibus coniungatur, praesertim cum aliud testimonium accedat, quod etiam illum Mercurium scholiasta tradidit Eretrienses ab oppido reppulisse.

At magna restat difficultas, si cetera Tzetzae verba respicimus. Agitur enim de puero et puella ante pugnam mactatis. Quae narratio quid sibi velit, paucis absolvi non potest. Certe veri aliquid subesse puto, quod tamen rerum memoria valde corruptum est. Quomodo autem res illa explicari possit, dicere nequeo.

At narratione illa inductus ipse non arbitror illius Mercurii formam cum Promacho conferendam esse. Gruppe enim contulit (Gr. Myth. p. 72) illum Mercurium cum deo *ψυχοπόμπος* qui dicitur et putavit ad eundem pertinere illa nomina Poemandri et Leucippi, ex quibus cognominibus dei, quae ei in quibusdam ritibus sacris erant, nomina propria nata essent. Testimonium aliud spectare videtur (schol.

Odyss. ε 51): διὰ τὸ λαμπρὸν καὶ λευκὸν τοῦ θεοῦ, ad eam explicationem, quam apud Gilbertum invenimus. Qui Mercurii Leuci religionem antiquissimam esse putavit et spectare cognomen ut Criophori ad nubium deum; contra pertinere eam formam non ad aestatem, qua pluvia petebatur, sed ad veris tempus, quo petebant a nubium deo, ne nubes obscuras in caelo pelleret, sed eas candentes et leves solem comitantes redderet. Recentiore autem aetate eam rem, quae spectabat ad res naturales (Artemid. 2, 36: νέφη τὰ μὲν λευκὰ εὐπραξίας σημαντικά, τὰ φοφώδη δυσθυνίας, τὰ μέλαινα χειμῶνος ἢ λύπης), ex ratiocinatione ad salutem, quam in bello acerrimo Mercurius tulisse dicebatur, referebant.

Quae quamquam probabiliter erui possunt, tamen non prorsus recedunt scrupuli de Mercurii Phaedri et Leuci veneratione.

Iuvat nunc quaerere, quo tempore dies festi Mercuriales acti sint. Cuius rei etsi testimonia certa non adsunt, tamen aliquid inveniri posse puto. Menses Boeotorum (cf. Bischoff, Leipz. Stud. VII, 343 sqq.) si examinemus, alter mensis pro Attico Γαμηλιών exstat Ἑρμαῖος. Qua ex re etiam concludi potest, quippe qui mensis Mercurialis fuerit, eo mense dies festos celebratos ei esse. Huc accedit, quod illis diebus festis nomen Ἕρμαια fuit, qui cum in reliqua Boeotia tum Tanagrae agebantur. Mensis autem nomen a diei festi derivatum esse apparet. Cui autem Mercurii formae ille festus dies sacratus sit, difficile est diiudicatu. Cum ad Mercurium Promachum potest spectare, cui nonnullis in regionibus certamina agebantur, tum ad Leucum, cum Hermaeus mensis fuerit verni temporis.

Restat, ut exponam quomodo deus Tanagrae repraesentatus sit. Qua de re a viris doctis acciter est disputatum. Testimonium nobis est maximum Pausaniae (9, 22, 2). Quod si sequimur, Mercurius expressus erat in Criophori fano a

Calamide arietem portans in humeris. Qua aetate floruerit Calamis ille, certe investigari non potest. Sed veri est simillimum eum vixisse dimidia parte saeculi quinti priore. Quod simulacrum reddere nonnulli nummi Tanagraei videntur (cf. Roscher, M. L. col. 2396; Coins of Mus. Brit. p. 64, 51): Obverse, youthful bust r., Hermes Kriophoros? draped; at shoulder, cooked staff; in front, ear off corn: border of dots; reverse: Hermes Kriophoros standing, facing, carrying a ram across his shoulder; Num. Zeitschr. 9, 29 sq.

In Roscheri nummo deus est repraesentatus nudus, sine ullo tegimento corporis, sine alis pedum, arietem portans in humeris, ita ut bini pedes arietis pendeant super humeros. Quem nummum reddere figuram publice consecratam nemo negabit. Nec difficile conclusu est figuram esse imitationem statuae Mercurii Criophori a Calamide factae. Praeter hanc publice consecratam figuram duae aliae inventae sunt imagines Mercurii, in quarum altera expressus est aries stans quasi symbolum prope deum. Alteram figuram, qua deus iterum ut Criophorus repraesentatus est, Onatas fecit Aeginetes, ita ut deus arietem in lacerto portet. Cum utraque figura non respondeat Pausaniae descriptioni (Roscher p. 2394; 2431), nemo negabit nummum non reddere Calamidis opus, praesertim cum haec figura etiam antiquior esse videatur, quippe quae praebeat deum nudum, id quod in simulacris semper est respiciendum. Qua ex figura alia orta est clarissima, pastoris boni.

Etsi Mercurii Promachi imaginis nemo mentionem fecit, tamen simulacrum olim fuisse videtur, cum nummi eam praebeant, qua deus expressus est nudus, sinistra tenens caduceum, fultus arbuto, in qua ales sedet (Imhoof-Blumer, Num. Z. 9, 31 sq.). Quam imaginem Mionnet (Suppl. III, 522, 113) errore feminae attribuit (femme debout, tenant de la main g. un caducée; au-dessus, un aigle sur un rameau).

Attamen valde viri docti dubitarunt, utrum deus adulescens an vir et barbatus expressus sit. Haec quaestio a me paucis absolvi potest, cum de solo Tanagraeorum usu agam. Qua in re unum Pausaniam respiciendum esse puto. Inde sequitur Tanagraeos cogitatione deum sibi finxisse adulescentem, cum adulescens pro eo arietem circum urbem portaret. Ex eodem argumento sequitur etiam Promachum adulescentem fictum esse ut iuventutis antistitem.

De Libero.

Tres Boeotiae urbes in primis Baccho fuerunt deditae: Thebae, Hyrie, Eleutherae. Satis notum est Thebis deum πυριγενῆ natum esse patre Iove, matre Semele (Diod. 4, 5; Strabo 13, 628). Magis autem dignae sunt, de quibus agatur, fabulae Hyries et Eleutherarum, cum arte cohaereant cum Tanagraeis.

Hyrie urbs, cuius nomen deductum est a verbo ὕειν, dedicata erat Baccho, deo pluviae; ibique sacrum fuit dei clarissimum totius fere orae maritimae. Cuius urbis, cum esset saeculo VIII., sicuti magna Boeotiae pars, Chalcidensium Euboeae, nomen et fabulae recepta sunt a multis Chalcidensium coloniis. Deo autem Hyries multae sunt proprietates communes cum Iove Lycaeo Arcadiae, id quod inde potest explicari, quod utriusque dei religio antiquis temporibus orta est ex Iovis Cretensis cultu, ita ut tantummodo nomina differrent, proprietates non item (Gruppe p. 67; Gilbert p. 143, 1, 293 sq.q.)

Tanagraeum cultum ex hac religione amplissima ortum esse et veri est simillimum et certis argumentis potest ostendi. Hyries fama tulit deum pluviae nutritum esse et educatum a deabus siderum pluviae, a Pleiadibus. Quae fabula, quam

nonnulli iam Cretensem esse contenderunt, melius, propter urbis nomen, coniungitur cum Hyrie (cf. Gerhard, Griech. Mythol. § 834, 3). Nam Pleiades occurrunt in illorum Boeotiae finium fabulis, nec minus Pleiadum pater Atlas. Sic Atlas in honore habebatur Tanagrae, de quo tradidit Pausanias (9, 20, 3). Filia eius Alcyone in fabulis Tanagraeis occurrit coniuncta cum Neptuno, atque fuit avia Eleutheris, a quo Poemandri, conditoris Tanagrae, origo ducebatur (cf. Paus. 9, 20, 1; Plut. qu. Gr. 37). Alia Atlantis filia Maea mater fuit Mercurii Tanagraei, quem in monte Ceryceo natum esse Pausanias (9, 20, 3) tradidit.

Praeterea alii Hyries dei ut Neptunus, Orion (Paus. 9, 20, 3) colebantur Tanagrae. Idem tres dei occurrunt in Anthedonis fabulis. Quam ob rem, cum etiam nummi Phoenicum oppidorum Beryti, Bybli praebeant imagines illorum trium deorum, Gruppe (p. 61) arbitratur cultus illos ex Phoenicum urbibus in illam partem Boeotiae venisse. Attamen contrarium accidisse persuasum habeo, cum Phoenicibus desit deus marinus, scilicet Neptunus; huc accedit, quod nummi illi Phoenicii imperatorum demum aetate signati sunt. Quam ob rem puto cultus quosdam Graecos sicuti multas alias res aetate post Alexandrum M. in orientem divolgatos esse.

Praeterea Orion in Hyries fabula Bacchica partes habuit, nam Pindarus (frgm. 74) tradidit Orionem nutrices Bacchi persecutum esse. Qua de siderum fabula suo loco de Atlante acturus tractabo.

Aliter res se habet de Eleutheris. Qua in urbe quamquam deus natus esse dicebatur, cultus Tanagra aut ex alio orae sacro eo delatus esse videtur. Antiquiore aetate Eleutherae urbs fuerunt Boeotiae; sed quo tempore Heraclidae in Peloponnesum redierunt, Atticorum facta est, quorum in dicione inde ab illo tempore permansit. Scholio ad Arist. Acharn. v. 243 et Pausaniae loco (1, 2, 5) traditur Liberi

religio Eleutheris Athenas translata esse. Eleutheris Baccho cognomen Ἐλεύθερος sive Ἐλευθερεύς fuisse notum est. Quo ex cognomine collato cum nomine Eleutheris, Poemandri avi, concludere licet cultus Bacchicos Eleutherarum et Tanagrae quodam conexu coniunctos fuisse, cum idem Eleuther celebraretur Tanagrae et Eleutheris. Praeterea legimus apud Hyginum (c. 225 ed. Schmidt): „Eleuther primus simulacrum Liberi patris * * constituit et quemadmodum coli deberet ostendit.“ Ergo ea ex re, quod Tanagraei stemmati conditoris urbis gentili nomen Eleutheris ascripserunt, colligo eos statuisse venerationem dei, cuius cum cognomine nomen Eleuther coniunctum erat, sua ex urbe esse translatam, praesertim cum Eleutherae conditae esse dicerentur ab Eleuthere.

Una cum Libero in honore habebatur Venus Tanagrae teste Pausania (9, 22, 1): *Ἐν Τανάγρᾳ δὲ παρὰ τὸ ἱερὸν τοῦ Διονύσου Θέμιδός ἐστιν, ὁ δὲ Ἀφροδίτης, καὶ ὁ τρίτος τῶν ναῶν Ἀπόλλωνος* ... Qua in re urbs conferri potest cum Megalopoli, Psophide, Melangia, Phigalia Arcadiae. Porro Melangiae colebatur Venus Melaenis cognominata, Eleutheris Boeotiae Bacchus non solum Eleuthereus, sed etiam Melanaegis. Athenis vero Libero quondam cognomina fuerunt Melanthides et Melanaegis. Quae dei formae ex Cithaeronis sacellis, quae Eleutheris et Melaenis oppidulis fuerunt, ab Atticis receptae esse videntur. Heros autem Melaenarum Melanthus congruit cum Baccho Melanthide et Melanaegide hac in regione clarissimo. Haec cognomina Baccho erant data olim tantum Melaenis celebrato, Eleuthereus autem Eleutheris cultus cognominatus erat. Tempore vero recentiore cum Liberi Melanthidis tum Ἐλευθερέως venerationem Athenis invenimus. Bacchus autem in honore habitus in illis Arcadiae urbibus una cum Venere Epaminondae aetate receptus esse mihi videtur (cf. Toepffer, Att. Gen. p. 231; Immerwahr, Kulte u. Mythen Arkadiens p. 190), qua aetate res Arcadiae restitutae sunt etiam Megalopoli urbe condita.

Locus autem celeberrimus et gravissimus, quo agitur de Baccho Tanagraeo, exstat apud Pausaniam 9, 20, 4—5: *Ἐν δὲ τοῦ Διονύσου τῷ ναῷ θέας μὲν καὶ τὸ ἄγαλμα ἄξιον, λίθου τε ὂν Παρίου καὶ ἔργον Καλάμιδος, θαῦμα δὲ παρέχεται μεῖζον ἔτι ὁ Τρίτων. Ὁ μὲν δὴ σεμνότερος ἐς αὐτὸν λόγος τὰς γυναῖκάς φησι τὰς Ταναγραίων πρὸ τοῦ Διονύσου τῶν ὀργίων ἐπὶ θάλασσαν καταβῆναι καθαρσίων ἕνεκα, νηχομέναις δὲ ἐπιχειρῆσαι τὸν Τρίτωνα, καὶ τὰς γυναῖκας εὔξασθαι Διόνυσόν σφισιν ἀφικέσθαι βοηθόν· ὑπακοῦσαί τε δὴ τὸν θεὸν καὶ τοῦ Τρίτωνος κρατῆσαι τῇ μάχῃ. Ὁ δὲ ἕτερος λόγος ἀξιώματι μὲν ἀποδεῖ τοῦ προτέρου, πιθανώτερος δέ ἐστι· φησὶ γὰρ δὴ οὗτος, ὁπόσα ἐλαύνοιτο ἐπὶ θάλασσαν βοσκήματα, ὡς ἐλόχα τε ὁ Τρίτων καὶ ἥρπαζεν· ἐπιχειρεῖν δὲ αὐτὸν καὶ τῶν πλοίων τοῖς λεπτοῖς, ἐς ὃ οἱ Ταναγραῖοι κρατῆρα οἴνου προτιθέασιν αὐτῷ· καὶ τὸν αὐτίκα ἔρχεσθαι λέγουσιν ὑπὸ τῆς ὀσμῆς, πιόντα δὲ ἐρρῖφθαι κατὰ τῆς ἠόνος ὑπνωμένον, Ταναγραῖον δὲ ἄνδρα πελέκει παίσαντα ἀποκόψαι τὸν αὐχένα αὐτοῦ· καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἔπεστιν αὐτῷ κεφαλή· ὅτι δὲ μεθυσθέντα εἷλεν, ἐπὶ τούτῳ ὑπὸ Διονύσου νομίζουσιν ἀποθανεῖν αὐτόν.*

Cuius enarrationis verba mihi videntur gravissima esse haec: *τὰς γυναῖκας ... καθαρσίων ἕνεκα ... ἐπὶ θάλασσαν καταβῆναι.* Ac primum quidem ex his verbis accepimus Liberi diem solemnem actum esse a Tanagraeis. Neque enim fabula illa enasci potuit, nisi quodam fundamento niteretur, scilicet die quodam festo. Sint cetera illius fabulae ficta et falsa, non item iudicari potest, si agitur de die festo. Nam ex eo, quod fuit Bacchi dies festus, cetera fabulae pars potuit enasci.

Altera quaestio est de feminis. Dubitari enim potest verbis illis dictumne sit omnino feminas litus petiisse, an agatur de certis quibusdam feminis, de collegio sacerdotum.

Antiquiore aetate mulieres promiscuae Bacchici furoris plenae (*ἔνθεοι*) per saltus vel noctu vagabantur et quascum-



que convenerunt, eodem furore affecerunt. Posteriore autem aetate certo ordine festi dies sunt instituti et feminae electae, quibus sacerdotum munera mandarentur (Rohde, Psyche II², 22; 44 sqq.). Afferendum est hoc loco illud Diodori (4, 3): *καὶ τοὺς μὲν Βοιωτοὺς καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας καὶ Θρᾷκας — καταδεῖξαι τὰς τριετηρίδας θυσίας Διονύσῳ καὶ τὸν θεὸν νομίζειν κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον ποιεῖσθαι τὰς παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφανείας· διὸ καὶ παρὰ πολλαῖς τῶν Ἑλληνίδων πόλεων διὰ τριῶν ἐτῶν βακχεῖά τε γυναικῶν ἀθροίζεσθαι, καὶ ταῖς παρθένοις νόμιμον εἶναι θυρσοφορεῖν καὶ συνενθουσιάζειν εὐαζούσαις καὶ τιμώσαις τὸν θεόν· τὰς δὲ γυναῖκας κατὰ συστήματα θυσιάζειν τῷ θεῷ καὶ βακχεύειν καὶ καθόλου τὴν παρουσίαν ὑμνεῖν τοῦ Διονύσου, μιμουμένας τὰς ἱστορουμένας τὸ παλαιὸν παρεδρεύειν τῷ θεῷ μαινάδας.* Quapropter etiam illo loco (Paus. 9, 20, 4) puto de collegio agi feminarum, quod a Diodoro *σύστημα* appellatur, etiam articulo *αἱ* adiecto.

Quam ob rem, cum Delphis, Orchomeni, Aleae, Opunte, aliis in urbibus dies Bacchici solemnes agerentur tertio quoque anno (*παρ' ἔτος*), quibus dei adventus celebrabatur, Weniger (Kollegium der 16 Frauen u. der Dionysosdienst in Elis, Prgr. Weimar 1883, p. 16) et Rapp (Mus. Rhen. 27, 1 sqq.) putant ceteris quoque in urbibus, ubi a feminis Liber cultus esse traditur, Spartae, Chaeroneae, Tanagrae dei adventum celebratum esse. Attamen non in omnibus rebus facio cum viro illo doctissimo. Nam confert cum adventu Bacchi die solemni celebrato eum diem festum, qui Chaeroneae agebatur (Thyiaden, Prgr. Eisenach 1876, p. 8; 11), teste Plutarcho (qu. conviv. 8, p. 717): *οὐ φαύλως οὖν καὶ παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις τὸν Διόνυσον αἱ γυναῖκες ὡς ἀποδεδρακότα ζητοῦσιν· εἶτα παύονται καὶ λέγουσιν, ὅτι πρὸς τὰς Μούσας καταπέφευγε καὶ κέκρυπται παρ' ἐκείναις.* Qui locus mihi non tam ad dei adventum quam ad discessum referendus esse videtur. Putat enim Weniger illum diem festum pertinuisse ad celebrationem

dei adventus et finem habuisse in deo dilacerando et a Pallade a morte ad vitam revocando (cf. Gilbert p. 297). At scripsit sic Plutarchus: εἶτα παύονται καὶ ... Si alii quoque ritus sacri, quos iam commemoravit, secuti essent, non intellegeremus, cur eos non allaturus fuerit. Sed ipse finem fecit: παύονται. Quo verbo finem fecit enarrationi. Itaque videmus eum non de adventu, sed de discessu tractasse: id quod etiam alio argumento fulciri potest. Liber vehementer a Lycurgo (Il. Z, 128 sqq.) vexatus et coactus est confugere in mare ad Thetidem. Hoc quem tractamus loco deum ad Musas effugisse feminae dicunt. Preller (Ber. d. Sächs. Ges. d. W. 1855, B. 7, 26) iam dudum demonstravit dei fugam ad Musas idem sibi velle atque ad Thetidem (cf. Gilbert p. 487), scilicet ad nymphas fontium, et putat Iliadis mythum a feminis Boeotis mimica tantum arte esse repraesentatum.

Bacchanalia (Ἀγριώνια) igitur erant festus discedentis Liberi dies. Liber ipse deus fuit veris ab Agrio, deo tempestatis brumalis, vexatus et victus (cf. Usener, Göttl. Synonyme; Rhein. Mus. 53, 375/76). Quibus ex fundamentis naturalibus ortus est mythus, qui caerimoniis sacris illis repraesentari solebat.

Aliud exstat argumentum apud Hesychium s. v. Ἀγριάνια· (corr. ex Ἀγρίανα·) νεκύσια παρὰ Ἀργείοις καὶ ἀγῶνες ἐν Θήβαις. Nonnullis locis deum tradiderunt non effugisse, sed interfectum esse, ut Delphis, ubi etiam eius sepulcrum monstrabatur. Nec minus est monendum Iovem quoque Cretensem, cuius mentionem iam feci, interfici et sepeliri. Quam ob rem νεκύσια vocabulum sic explicandum esse puto: Argis Liber repraesentatus est Bacchanalibus non fugiens, sed interficiendus sicuti Delphis. Inde sequitur Bacchanalibus discessum, non adventum dei celebratum esse. Qui dies festus magna in Boeotiae parte actus esse videtur, fortasse etiam Tanagrae (Plut. ἐν τοῖς παρ᾽ ἡμῖν Ἀγριωνίοις).

Contra is dies festus Bacchicus, quem a Pausania commemoratum invenimus, ad dei adventum respicere videtur. Quapropter redeamus ad Pausaniam (9, 20, 4—5); quo loco porro legimus: *ἐπὶ τὴν θάλασσαν καταβῆναι καθαρσίων ἕνεκα, νηχομέναις . . .*

Cum mos esset Graecorum ceterarumque gentium, ut, quicumque sacrificia conficere solerent, nisi expiati aut purgati ad deos non venirent, minime est mirandum, quod feminae sacerdotes adventum dei exspectaturae et celebraturae diligentissime lustrabantur. Diversissimae exstabant res, quibus lustrationis causa utebantur; de quibus uberius egit Rohde (Psyche II[2], p. 405). Certis autem legibus et praescriptis erat statutum, quomodo sceleribus maculatos purgari oporteret. Quo quisque magis erat maculatus, eo diligentior lustratio certis normis erat praescripta. Afferam nunc nonnulla exempla utilia: Empedocl. 452: *κρηνῶν ἀπὸ πέντε.* — Eurip. Electr. 799: *λουτροῖσι καθαροῖς ποταμίων ῥείθρων ἄπο.* — Praeter aquam alia quoque adhiberi solebant: Lucian. Necyom. 7: *ἐκάθηρέ με καὶ ἀπέμαξε καὶ περιήγνισε δᾳδὶ καὶ σκίλλῃ.* Saepissime utebantur aqua; attamen in deorum lustrationibus opus erat lympha aut aqua marina: Iph. Taur. 1161: *θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά.* — Paton-Hicks, inscr. of Cos. 38: *ὁ ἱαρεὺς ἀπορραίνεται θαλάσσᾳ.* — Philo de sacrif. 848 C: *οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες ἀμιγεῖ ὕδατι περιρραίνονται· θαλάττῃ μὲν οἱ πολλοί, τινὲς δὲ ποταμοῖς, οἱ δὲ κάλπεσιν ἐκ πηγῶν ἀρυόμενοι* (cf. Hermann, Gr. Ant. II[2], § 23; Rohde, Psyche II[2], Anh. p. 405 sqq.).

Porro cum eo loco ageretur de dei adventu celebrando, oportuit feminas petere litus, quod aberat amplius decem stadia, ut ibi in mari ex praescriptis lustrarentur. Qua ex lustratione Rapp (l. c.) coniecit etiam aliis in urbibus, ubi collegia Bacchica fuerunt, tales lustrationes fuisse, neque aliter iudicavit Weniger (16 Frauen p. 22; Thyiaden p. 9).

Apollinarem autem cultum Tanagrae arte coniunctum fuisse cum Bacchi veneratione (cf. Gilbert p. 487) nunc explicabo. Illarum Boeotiae regionum cultus Apollinaris fuit Ionicus, qui ex Delo in Atticam et Boeotiam (Strabo p. 403), inde Delphos erat translatus. Ubi cum uterque deus arte coniunctus esset (cf. Aug. Mommsen: Delphica 114 sqq.), et Thyiades Delphos petiturae eadem via sacra uterentur atque theoria Delphica, quin cultus Apollinaris et Bacchi Delphicus quandam vim habuerit in cultu Tanagraeo Bacchico, praesertim cum Apollinaris cultus Tanagraeus purissimus traderetur, dubitari non potest. Ceterum Tanagrae Bacchi et Phoebi templa erant propinqua (Paus. 9, 22, 1).

Liceat nunc tractare de fabula Liberi cum Tritone coniuncti. Qua de quaestione a viris doctis vehementissime disceptatum est. Referendi sunt ad illam fabulam nummi quidam Tanagraei, in quibus fabula illa expressa esse videtur.

Imhoof-Blumer (Wien. Num. Zeitschr. 9, 33) sic unum ex his nummis descripsit: Unter dem Gebälk eines Tempels oder Portikus steht linkshin Dionysos in kurzem Chiton, einen Kantharos in der rechten, einen Thyrsos in der linken Hand. Zu beiden Seiten, auf hohen Postamenten, stehen zwei männliche Figuren, dem Gotte zugewendet, und ihn bekränzend. Zu den Füssen linkshin bewegt sich ein Triton, das bärtige Haupt zurückwendend. Praeterea legitur inscriptio *TANA-ΓΡΑΙ-ΩΝ.* In altero latere legitur: *AYT. KAI. ANTΩNEINOΣ EYΣEBHΣ.* circum M. Aurelii caput laureatum. Eundem nummum allatum esse censeo in catalogo nummorum Musei Britannici (Centrale Greece 66 no. 60) cum utriusque loci descriptio plane congruat.

Primus Imhoof-Blumeri nummo et loco Pausaniae collatis E. Curtius (Arch. Zeit. 1883, 255) de Tritone egit. At arbitratus est Tritonem quoque fuisse artificium, id quod iam Pausaniae verbis refutatur. Idem primus statuit Liberum adulescentem repraesentatum esse sicuti Aesculapium ab

eodem Calamide ex auro et ebure Secyone (Paus. 10, 10) factum. Qua in re Curtium Pausaniae verba non recte intellexisse facile cognoscimus. Unde sequitur Bacchi statuam non esse conferendam cum Tritonis cadavere. Quod etiam ex iis rebus colligitur, quae fabulam illam sequuntur; quibus egit Pausanias de natura Tritonum et de aliis bestiis mirabilibus. Qua in re offendit recte P. Wolters (Arch. Zeit. 1855, 263 sqq.) etiam Aeliani loco allato (de nat. anim. 13, 21): *λέγει δὲ Δημόστρατος ἐν λόγοις ἁλιευτικοῖς ἐν Τανάγρᾳ θεάσασθαι τάριχον Τρίτωνα· καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἦν, φησί, καὶ τοῖς πλαττομένοις ὅμοιος καὶ τοῖς γραφομένοις, τὴν δέ οἱ κεφαλὴν ὑπὸ χρόνου διεφθαρμένην οὐ πάντῃ σαφῆ ἔφατο εἶναι*, et statuit Bacchi statuam, qualis in nummis posset conspici, non esse Calamidis, sed recentioris aetatis, cum tales statuae post Phidiae demum aetatem fingi potuerint. Quam ob rem putat eum artificem, a quo nummorum imagines imprimebantur, templi Bacchici statuam imitatum esse; Calamidis autem eam non iam fuisse, sed artificis aetatis inferioris. Praeterea Wolters affirmat, cum Pausania teste deït portenti caput, nummi autem praebeant, factum id esse a formarum scalptore, eundemque Tritonem repraesentasse excitatum neque capite carentem, quo facilius aspici posset portentum illud, quo erant elati Tanagraeorum animi.

Contra quam explicationem Woltersii disseruit Wernicke (Arch. Zeit. 1887). Maxime ea in re offendit, quod Wolters putaverat eam ob causam in nummis Tritonem capite non carentem esse repraesentatum, ne obscurior fieret figura. Qua in re Woltersio assentior Kalkmanni (Pausanias p. 29/30) quoque argumento usus dicentis scalptorem portentum ita repraesentasse in nummis, quemadmodum praeberent Tritonem imagines et artificia. Ergo ille tantummodo leges certas servavisse censendus est.

Duas narrationes subesse Pausaniae verbis nemo negabit, ac primum quidem narrationem sacerdotum, alterum explica-

tionem Euhemeri ratione natam. Attamen minime assentior Wernickio lustrationem putanti feminarum esse fictam ex sacrificio in litore facto (p. 116/117). Mihi quidem, sicuti iam demonstravi, feminarum lustratio instituta ante Liberi orgia fabulae pars antiquior esse videtur, cetera non item. Neque enim fingi potuit feminarum lustratio. Qua demum re vera nixa Tritonis et Bacchi fabula enasci potuit. Neque enim quisquam Tanagraeus ignorabat instituta sacra; contra fabulae illae deorum, quarum origines ex institutis sacris ducebantur, varie enarrari potuerunt. Ac ne alia quidem, quae Wernicke protulit, probari posse arbitror, cum vir ille doctissimus traditione genuina neglecta ex arbitrio, quomodo fabula nata esset, excogitaverit. At cur non tradidit Pausanias sacra in litore facta esse a Tritone perturbata? Neque enim ea re Bacchi et Tritonis fabula ficta esset alia: immo, multo simplicior fabula esset facta. — Neque vero hunc in modum Pausaniam corrigere licet. Secundum Wernickii sententiam „in litore sacra fiunt deo marino, Neptuno aut eius filio Tritoni. Cui deo celebrando occurrit deus novus, dona hominibus accepta laturus. Quo facto omnes neglecto deo veteriore recentiorem celebrant. Ita pro Neptuno ab illa aetate Liber colitur; neque iam sacra fiunt in litore, sed in urbe, ubi Bacchi templum aedificatur“. Qua in re valde miror narrationem tantopere posse converti ex arbitrio. Nihil traditum est de sacris in litore factis, sed de lustratione agitur aqua marina curata; porro non est traditum cultum ex litore in urbem translatum esse. Quicumque probe novit cultum Bacchicum, illud testimonium de feminis lustrandis fabulae partem genuinam esse non ignorabit, nec est causa, cur ex arbitrio testimonia vetera mutemus. Praeterea eam quaestionem Rappii et Wenigeri libellis iam commemoratis expeditam esse puto. Sed aliis quoque in rebus Wernicke erravit, cum scriberet Tanagraeas diem festum egisse (p. 116) Bacchicum et sacerdotes Tanagraeos Bacchicos (p. 117) primo

saeculo a. Chr. n. ad fabulam fulciendam pistricem in sacro Liberi posuisse. Contra apparet Tanagraeas feminas non egisse festum; sed tales res publice institutas esse. Praeterea docui verba Pausaniae non omnino significare feminas, sed certas feminas, collegium sacerdotum, quod, ubicumque Liber colebatur, inveniri potest (cf. Weniger, 16 Frauen l. c.) exceptis Phigalia et Melangia, ubi mares erant sacerdotes. Neque vero solum illud collegium die solemni deum venerabatur, sed omnes cives; contra illi collegio munera sacra mandata erant, quibus totum per annum fungebantur; tum autem diebus festis sacra illi erant faciunda.

Nec minus ex verbis meis apparet sacerdotes Tanagraeos Bacchicos non fuisse; quam ob rem pistricem comparare sacerdotes Bacchiaci non potuerunt, potuerunt Tanagraei. Quibus rebus demonstratis ne ea quidem, quae inde conclusit Wernicke, retineri possunt.

Attamen ex fabula duos cultus eosque inter se adversarios exstitisse conici facile potest.

Mihi quidem fortuito Liber cum Tritone coniunctus esse videtur; tum autem, ut ea fabula explicaretur, adscita est feminarum lustratio tertio quoque anno ante Liberi festum instituta. Cum enim Bacchus multis pugnis interfuisse diceretur, haec quoque fabula nata est. Et cum portenti caput paulatim periisset, aliam fabulae formam excogitari opus erat, qua enarraretur Tritonem pugnantem caput amisisse, et ex Euhemeri ratione non iam tradebatur deus interfecisse portentum pugnans, sed tradebantur Tanagraei allectum dei dono et captum. Qua in re summa vis est in vino; ceterae res minoris sunt momenti.

Quo crebriores exstant statuae et imagines, quibus Bacchus repraesentatus est luxuriosus et mollis, eo magis est monendum non semper talem homines deum sibi excogitasse, sed saepenumero bellicosum. Talem deum cognovimus in gigantomachia (cf. Horaz. carm. 1, 12, 21), nec minus dimi-



cantem singulari certamine cum Neptuno (Plut. qu. conv. 9, 6), cum Gigone (Steph. Byz. p. 208 ed. Mein.), cum Argivis Perseo, cum Thebanis Pentheo, cum Thracibus Lycurgo ducibus.

Nec Bacchus solus cum Tritone dimicasse dicebatur, sed etiam Hercules, cuius pugnae testimonium exstat in templi fragmento Assi reperto. Stephani (Compte r. 1867, 162) statuit eam pugnam antiquioribus temporibus celeberrimam fuisse, cum etiam vascula nigris figuris picta eandem rem praebeant. Attamen nil inde lucramur ad Tritonis et Liberi pugnam explicandam.

Quomodo illae pugnae explicandae sint, utrum ex rebus naturalibus, ut Gilbert (Griech. Götterlehre 190; 310) arbitratur, an ex pugnis cultu Bacchico propagando ortis, diiudicare non audeo, cum utraque explicatio argumentis possit fulciri. Quam ob rem non mirum est, quod apud Eduardum Meyer (Gesch. d. Altert. 2, p. 100; 110; 732) invenimus utramque explicationem coniunctam. Praeterea id est reputandum in explicandis fabulis elementa diversissima esse discernenda, cum uno tempore non totae fabulae natae sint. Quapropter singulorum temporum vestigia indaganda sunt.

Restat, ut nonnulla addam de Calamidis, quae fertur statua. Si esset re vera Calamidis, quam praebent nummi, antiquissimum fuisset artificium. Curtius putavit in nummo illo Bacchum Calamidis ut adulescentulum expressum esse. Contra Collignon (Gesch. d. Gr. Plastik 1, 420) statuit nec ex statuae habitu nec ex vestitu colligi posse, imaginem nummi praebere statuam Calamidis expressam. Sit habitus a scalptore mutatus; nummum autem statuam Calamidis praebere, praesertim cum haud bene sit conservatus, demonstrari non posse. Veri autem simillimum esse videtur, si quando fuit omnino Calamidis statua Bacchica Tanagrae, artificem quendam Calamidis statuam illo tempore perditam

aut raptam non accuratius imitatum esse. Sic fere quaestio potest expediri.

Praeterea alii quoque nummi Tanagraei Liberi imaginem praebent. De quibus apud Mionnetum (Description des médailles ant. Tome II, p. 108 no. 87: Tête de Bacchus, couronnée de lierre, à dr., Suppl. III, p. 520 no. 100: Tête de Bacchus, couronnée de lierre; no. 104: Tête de Bacchus, couronnée de lierre; no. 101: Tête de Bacchus indien) agitur.

Quamquam utrum expressum sit eiusdem statuae caput an alius, diiudicari non iam potest.

De Apolline.

Boeotiam quasi abundasse specubus et fontibus, apud quae loca Apollinis vaticinatio et divinatio floruerunt, quis est, qui nesciat? Nam deus ille praeter ceteros fuit deus vaticinandi et naturae observandae. Tria autem oracula Phoebi et delubra fuerunt amplissima Ptoii Apollinis in Ptoo monte (Herodot. 8, 135; Paus. 9, 23, 6; Plut. de def. or. 414; C. I. G. S. 2723; 2724a, b, c, d) situm, a Francogallis viris doctis nuper detectum, Ismenium Thebanorum, fabulis, ritibus sacris, donis dedicatis clarissimum nec minus ea re, quod aetate antiquiore in Boeotarum rebus publicis plurimum valuit (Herod. 1, 52; 5, 59; 8, 134; Paus. 10, 10; Plut. Sol. 4); Tegyraeorum, in quo natum esse Phoebum traditum erat.

Nunc autem ea praetermittam et accedam ad rem mihi propositam ipsam. Tanagra quoque urbs insignis fuit et Apollinis cultu et fabulis, quae de eius origine pervolgatae erant. Urbs enim valde coniuncta esse videtur cum propagatis sacris Apollinis illis, quae Delo profecta sunt.

Ac primum quidem agamus de cultu, deinde de fabulis. De veneratione rarissima exstant testimonia. Duplicem autem

religionem Apollinarem respiciendam esse censeo, cum deum et in urbe ipsa et in Delio prope oram maritimam veneratione prosecuti sint.

De Phoebo in urbe celebrato haec tantummodo verba a Pausania (9, 22, 1) tradita sunt: *Ἐν Τανάγρᾳ δὲ παρὰ τὸ ἱερὸν τοῦ Διονύσου Θέμιδός ἐστιν, ὁ δὲ Ἀφροδίτης, καὶ ὁ τρίτος τῶν ναῶν Ἀπόλλωνος, ὁμοῦ δὲ αὐτῷ [καὶ] Ἄρτεμίς τε καὶ Λητώ.* Neque aliis locis, ubi commemoratur cultus ille, quicquam traditum est, nisi quod fuisse celeberrimus cognoscitur. Contra quo loco dei templum situm fuerit, satis constat. Nam ea de quaestione Pausanias (9, 22, 3) nonnulla attulit. Atque fuit situm in ea regione sacra, in qua omnia fere fana erant sita.

Multo clariorem autem Delii Apollinis venerationem in Delio, quod vocatur, fuisse constat. Quod sacellum ex Delo insula conditum esse a Strabone (9 p. 403 C) docemur: *Εἶτα Δήλιον τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐκ Δήλου ἀφιδρυμένον, Ταναγραίων πολίχνιον Αὐλίδος διέχον σταδίους τριάκοντα.* Quo ex delubro, totius orae maritimae antiquissimo, cultus cum aliorum oppidorum, tum Tanagraeum urbanum receptos esse veri simile est. Nam Tanagrae colebantur una Apollo, Diana, Latona. Eosdem deos in Delio celebratos esse iisdem fere verbis Pausanias (9, 20, 1) tradidit: *Ἔστι δὲ τῆς Ταναγραίας ἐπὶ θαλάσσῃ καλούμενον Δήλιον· ἐν δὲ αὐτῷ καὶ Ἀρτέμιδος καὶ Λητοῦς ἐστὶν ἀγάλματα.* Quod testimonium si contulerimus cum illo loco, qui est de deis urbanis (9, 22, 1), intellegemus verba consentire. Quos tres deos una coniunctos licet appellare Delios, quippe qui primum Deli veneratione communi usi sint. Ubicumque autem una in honore habiti occurrunt, cultum ex Delo insula derivatum esse affirmari potest; ita religionem habebant communem Delphis, Athenis, in Ptoo monte, Abis, Halicarnassi, Mantineae, Mileti.



Sacro ex Delo advecto nomen erat Delium, Apollini ipsi in hoc fano culto cognomen erat Delii; nam Deli quoque idem cognomen ei fuit. Utrum unum templum tantum fuerit in Delio an plures aedes, ex Pausaniae verbis non apparet. Attamen Delium oppidulum fuisse cum ex Strabonis testimonio tum ex his Thucididis locis conicitur: 4, 76, 4; 89, 1; 97, 3; 90, 1: *ὁ δὲ Ἱπποκράτης . . . Δήλιον ἐτείχιζε . . . τάφρον μὲν κύκλῳ περὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸν νεὼν ἔσκαπτον . . . καὶ λίθους ἅμα καὶ πλίνθον ἐκ τῶν οἰκοπέδων τῶν ἐγγὺς καθαιροῦντες . . . ᾗπερ γὰρ ἦν στοὰ κατεπεπτώκει . . .* Quibus ex locis collatis apparet Delium non solum templum fuisse, cum porticus commemoretur, verba autem *περὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸν νεών* ad solum templum referri non possint; *τὸ ἱερὸν καὶ τὸν νεών* res esse varias ex verbis dilucide perspicitur neque dubitari potest, quin *τὸ ἱερὸν* significet idem atque vulgo *τέμενος*. Neque enim, ut Thucydide teste accepimus, potuit fieri, ut unum templum castellum fieret Atheniensium pugnantium cum Boeotis. Attamen, quibuscumque locis Pausanias egit de Delio, de fano tantum cogitare videtur (1, 29, 13; 9, 6, 2; 10, 28, 6). Ex qua re colligere licet illius aetate oppidulum evanuisse Delium, ita ut modo sacellum superesset; nam ubique Boeotiae conspexit Pausanias ruinas et saepius scripsit: *κώμη ἔρημος*; et Strabo (9 p. 410C) haec verba fecit: *νυνὶ δὲ μόνη συνέστηκε τῶν Βοιωτιακῶν πόλεων (Θέσπεια) καὶ Τάναγρα· τῶν δ' ἄλλων ἐρείπια καὶ ὀνόματα λέλειπται.*

At offendit in Pausaniae testimonio (9, 20, 1) Schubart et lacunam statuit. Nam collatis Steph. Byz. s. v. *Δήλιον* (*Δήλιον, πολίχνιον Βοιωτίας ἐν τῇ Τανάγρᾳ καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος*) et Strabonis (l. c.) testimoniis, quibus agitur de Delio, cum hoc loco Apollinis desideravit simulacrum clarissimum (cf. ind. crit.). Ideo inter verba *ἐν δὲ τῷ . . . καὶ Ἀρτέμιδος* lacunam statuit esse et ex contextu haec verba esse eiecta: *ναῷ Ἀπόλλωνός τε*. Tum locus correctus talis fit: *ἐν δὲ τῷ*

⟨ναῷ Ἀπόλλωνός τε⟩ καὶ Ἀρτέμιδος . . . ἀγάλματα. Idem pro αὐτῷ scripsit τῷ. Hactenus Schubart. Sed nunc videamus, opusne sit contextum ita corrigi an verba tradita retineri possint. Quare ad testimonia iam congesta afferam Thucydidis locos (4, 76, 4: τοὺς δὲ Ἀθηναίους ἔδει Δήλιον καταλαβεῖν, τὸ ἐν τῇ Ταναγραίᾳ . . . Ἀπόλλωνος ἱερόν)· et Diogenis Laert. (6, 20: Δήλιον . . πατρὶς Ἀπόλλωνος).' Quo ex scriptorum numero quattuor tantum Apollinis cultum commemoraverunt, unus Pausanias Dianae quoque et Latonae. Apollo vero peculiariter habebatur in honore in Delio; cuius dei simulacrum hoc loco non esse commemoratum, quoniam Dianae et Latonae statuarum fit mentio, eo magis est mirandum, quod Pausanias (10, 28, 6) ipse et Herodotus fusius' mentionem illius fecerunt. Accedit, ut religio Apollinaris Tanagrae urbana prognata sit ex Delii cultu, et Pausaniae de hac veneratione testimonium paene congruat cum eo testimonio, quod exstat de Delio cultu. Quae res quamquam Schubarti coniecturam fulcire videtur, tamen eam probare non possumus. Immo longe aliter res se habet. Scriptores illi quattuor, quorum praecipue intererat res afferre gravissimas, tantum Apollinis religionem commemoraverunt, cum fieri non posset, ut illam in Delio tractando neglegerent, quippe cuius oppiduli sive sacri nomen derivatum esset ab Apollinis cognomine Δήλιος aut ab insulae Deli nomine. Enimvero Pausanias, ut periegetes, inter omnes constare arbitratus in Delio Apollinis cognomine insigni dei illius statuam esse, tradidit rem minus notam, ut saepius fecit. Quapropter non est opus illa coniectura, si locum ita explicamus. Quod alii scriptores Delium appellaverunt πολίχνιον, nil refert in Pausaniae loco interpretando. Pausanias quidem de Delio tractavit saepius ut sacro, non oppidulo. Itaque hoc loco Delium significavit nil nisi Apollinis Delii delubrum. Hoc autem modo omnia bene procedunt. Si de Delio ut oppidulo scripsisset, retineri non possent verba: καλούμενον Δήλιον·

ἐν δὲ αὐτῷ.. Neque enim intellegi potest eum tradidisse omnino in oppidulo statuas fuisse. Sed statuis opus est aedificium, quo conserventur. Denique cum Delium significet aedem Apollinis Delii, non opus erat statuam dei, cui adytum consecratum erat, commemorare; quoniam fieri non potuit, ut deesset simulacrum. Pausanias autem ipse indicare mihi videtur se non in animo habuisse dei statuae mentionem facere, particula καὶ posita ante Ἀρτέμιδος.

Delii autem Apollinis simulacrum Pausanias (10, 28, 6) commemoravit hisce verbis: ἐδήλωσε δὲ ⟨εὐσέβειαν⟩ καὶ ὁ Μῆδος Δᾶτις λόγοις τε, οὓς εἶπε πρὸς Δηλίους, καὶ τῷ ἔργῳ, ἡνίκα ἐν Φοινίσσῃ νηὶ ἄγαλμα εὑρὼν Ἀπόλλωνος ἀπέδωκεν αὖθις Ταναγραίοις ἐς Δήλιον· οὕτω μὲν τὸ θεῖον καὶ οἱ πάντες τότε ἦγον ἐν τιμῇ, καὶ ἐπὶ λόγῳ τοιούτῳ τὰ ἐς τὸν συλήσαντα ἱερὰ ἔγραψε Πολύγνωτος. Herodotus autem de re eadem haec habet (6, 118): Δᾶτις δὲ πορευόμενος ἐς τὴν Ἀσίην, ἐπείτε ἐγένετο ἐν Μυκόνῳ, εἶδε ὄψιν ἐν τῷ ὕπνῳ· καὶ ἥτις μὲν ἦν ἡ ὄψις, οὐ λέγεται· ὁ δὲ ... ζήτησιν ἐποιέετο τῶν νεῶν, εὑρὼν δὲ ἐν νηὶ Φοινίσσῃ ἄγαλμα Ἀπόλλωνος κεχρυσωμένον ἐπυνθάνετο ὁκόθεν σεσυλημένον εἴη, πυθόμενος δὲ ἐξ οὗ ἦν ἱροῦ, ἔπλεε τῇ ἑωυτοῦ νηὶ ἐς Δῆλον· καὶ ἀπίκατο γὰρ τηνικαῦτα οἱ Δήλιοι ὀπίσω ἐς τὴν νῆσον, κατατίθεταί τε ἐς τὸ ἱρὸν τὸ ἄγαλμα καὶ ἐντέλλεται τοῖσι Δηλίοισι ἀπαγαγεῖν τὸ ἄγαλμα ἐς Δήλιον τὸ Θηβαίων .... τὸν δὲ ἀνδριάντα τοῦτον Δήλιοι οὐκ ἀπήγαγον, ἀλλά μιν δι' ἐτέων εἴκοσι Θηβαῖοι αὐτοὶ ἐκ θεοπροπίου ἐκομίσαντο ἐπὶ Δήλιον.

Quaeritur nunc de discrepantia, quae inest in eadem re ab Herodoto et Pausania diverso modo narrata, quomodo iudicandum sit. Si quis non diligentius perscrutetur illa testimonia, Pausaniam, praesertim quem notum sit fontem singularem adhibuisse Herodoti opus et eum non solum rerum, quas attulit ille, peritissimum fuisse, sed etiam genus dicendi imitatum esse, uti Gurlitt (Ueber Pausanias p. 49 sqq.)

docuit, hoc quoque loco eundem fontem eum secutum esse putabit. Itaque nonnulli viri docti, in his, ut exempla afferam, Toepffer (Beitraege p. 123) rem, quae narratur, fluxisse ex Herodoti libro arbitrati sunt. Cui opinioni nequeo assentiri. Non enim est mirandum, quod, quae res congruunt, iisdem fere verbis significatae sunt, cum fieri vix posset, ut aliis verbis uteretur Pausanias. Attamen res ipsae valde inter se discrepant, imprimis de reddito simulacro, cum expressis verbis Pausanias tradiderit Datim illud reddidisse Tanagraeis in Delium reportandum; qua ex re manifeste sequitur illorum fuisse Delium. Contra Herodotus tradidit Datim illud religione inductum secum tulisse et credidisse Deliis, incolis Deli insulae tum temporis in patriam reversis, et mandasse illis, ut dederent ipsi simulacrum Delio Thebanorum. Quod, cum Delii retinuissent, Thebani XX annis post oraculo nixi inde in Delium reportasse dicuntur. Itaque testimonia illa non consentiunt, sed prorsus sunt contraria. Aut Tanagraeorum fuisse potest Delium, aut Thebanorum; non potuit fieri, ut eodem tempore utriusque urbis esset. Neque, si rem ita expedire conemur, ut Thebani, quorum urbs Boeotiae propugnaculum erat, pro Boeotis omnino dicantur simulacrum reportasse, omnia bene procedunt. Nam sic scripsit Herodotus: „Δήλιον τὸ Θηβαίων“. Qua in re valde est dolendum non exstare testimonia, quibus nixi diiudicemus utrius urbis tunc temporis Delium fuerit. Itaque Bursian (Geogr. v. Griechenland 1, 218) non iure, sed ex arbitrio statuisse mihi videtur illo Herodoti loco adhibito Delium illo tempore Thebanorum fuisse, postea autem Tanagraeorum factum esse. Nam si sequamur Pausaniae tantum iudicium, credendum nobis sit anno 490 Delium fuisse Tanagraeorum; cum traditum sit Datim illis statim restituisse statuam. At quaestio nondum ad finem perduci potest, cum nimis magna sit discrepantia: teste Pausania Datis confestim simulacrum tradidit Tanagraeis, ut in Delium referrent;


Herodoto teste Thebani vi illud ex Delo insula in suum Delium XX annis post reduxerunt.

Attamen aliud lucramur ex hac disputatione: Pausaniam non adhibuisse illo loco Herodoti librum, neque eundem fontem. Neque enim dubito, quin, si in fonte scriptum fuisset: *Δήλιον τὸ Θηβαίων*, sive apud Herodotum, sive in fonte communi, futurum fuerit, ut eandem ille scripturam retineret. Praeterea puto illum non praeteriturum fuisse illas res singulas, quae in Herodoti narratione exstant, cum soleret a re latius discedere et longas afferre narrationes, quae prorsus non e re sunt, ita ut hic locus abhorreat ab indole et natura periegetae. Quam ob rem, cum non ignoremus eum saepissime atque diligentissime Herodoti opere usum esse, hoc loco eum ex eodem libro hausisse negandum est.

Etiam dies festi Apollinares et ludi id est certamina in Delio agebantur in Apollinis honorem. Qui dies solemnes, quibus nomen erat Deliorum, commemorantur a Didymo (schol. Pind. Ol. 7, 153: ... *ἐν δὲ τῇ Βοιωτίᾳ* ... *ὁ δὲ Δίδυμός φησι καὶ Ἀμφιαράια ἐν Ὠρωπῷ καὶ Δήλια ἐπὶ Δηλίῳ* . . .) et Diodoro (12, 70, 5), ubi agitur de pugna apud Delium commissa (cf. Strabo 9, 403 C: *Δήλιον* . . . *ὅπου μάχῃ λειφθέντες Ἀθηναῖοι προτροπάδην ἔφυγον* . . .): *τήν τε τῶν Δηλίων πανήγυριν (οἱ Βοιωτοί) ἀπὸ τούτων τῶν χρημάτων* (praeda) *ἐνεστήσαντο ποιεῖν;* quo ex testimonio apparet inde ab illa pugna facta Delia instituta esse, sicuti Athenis in memoriam pugnarum ad Marathona et Plataeas factarum dies festi agebantur (cf. Hermann, Ant.², 56, 3; 63, 9). Quod ad certamen Deliorum pertinet etiam titulus hic (C. I. G. S. 20): *ἔδοξε τῷ δήμῳ τῷ Ταναγραίων στεφανῶσαι τὸν δῆμον τὸν Μεγαρέων χρυσῷ στεφάνῳ καὶ εἰκόνι χαλκῇ* .... *ἀναγορεῦσαι δὲ τοὺς στεφάνους* . . . *καὶ ἐν τῷ ἀγῶνι τῷ συντελουμένῳ κατ' ἐνιαυτὸν τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δηλίῳ*. Tanagraei enim Megarensibus utebantur amicissimis, cum etiam Heracleam Ponticam una cum illis condidissent.

Licet nunc afferre Tanagraeos non solum ipsorum deos in honore habuisse, sed etiam Pamboeotorum. Tres fuerunt dei eius societatis peculiares Neptunus Onchestius, Minerva Itonia, Apollo Ptoius, de quo iam egi; cuius dei auspiciis etiam Cereris et Proserpinae fanum Tanagraei restituisse videntur (Revue des étud. gr. 9 (1899), 82). Praeterea societas illa Musarum et Gratiarum cultum videtur prosecuta esse (cf. titulos in Ptoo monte repertos: C. I. Gr. S. 2723–2724 d); Gratias autem in nummo Tanagraeo (cf. Mionnet, tome II, p. 108 no. 82: R. *ΤΑΝΑΓΡΑΙΩΝ*, trois femmes, se donnant la main; The coins of the British Museum, centrale Gr. p. 65 no. 51: *ΤΑΝΑΓΡΑΙΩΝ*, three nymphs draped, dancing, hands joined) expressas esse puto.

Etiam cum fabulis, quae spectant ad urbis originem, Apollo coniunctus est. Nam una cum Neptuno genitor est teste Pausania eius stirpis, ex qua oriundus erat Poemander, conditor urbis (Paus. 9, 20, 1). Cuius Poemandri originem nonnullis saeculis intermissis duxerunt ab Eleuthere, Apollinis filio, et Aethusa, Neptuni filia. His tribus locis Pausaniae (9, 20, 1), Diodori (4, 73, 1), Plutarchi (qu. Gr. 37) stemma illud Poemandri conferemus:



Nunc autem quaeramus utrum certis argumentis possit ostendi Apollinem ex Delo insula Delphos proficiscentem

Tanagram declinasse necne. Nam in scholio, quod exstat ad Aeschyli Eumenidas (v. 11 = Pindar frgm. 14, Boeckh.): *Χαριζόμενος Ἀθηναίοις καταχθῆναί φησι* (*Αἰσχύλος*) *αὐτὸν ἐκεῖσε Ἀπόλλωνα, κἀκεῖθεν τὴν παραπομπὴν αὐτῷ εἶναι· ὁ δὲ Πίνδαρος* (frgm. 14) *ἐκ Τανάγρας τῆς Βοιωτίας* Odofredus Mueller corrigendum esse putavit *ἐκ Τανάγρας* in *ἐκ Τεγύρας*. Non agam de priore scholii parte, in qua scholiasta Aeschylum studio popularis gloriae inductum Apollinem Athenas devertentem finxisse statuit. Qua in re secutus est scholiastae sententiam Reisig, qui (cf. adn. ad Aesch. Eum. v. 5) sic scribit: 'ubique Athenas celebrandi occasionem captat Aesch., ideoque hic artificio summo' ... etc. Sed minime Aeschylus gloriam patriae quaesivisse videtur; immo secutus est ille versionem fabulae Apollinaris Atticam, quae tunc temporis, ni fallor, valebat. Utriusque poetae testimonium, si conferamus, neutra urbs, nec Tanagra neque Athenae, excludenda sit ex ea via, quam Apollo cepisse ferebatur. Sed duplex exstat fabulae forma, forma Attica apud Aeschylum, apud Pindarum Boeotica. Neque vero Muelleri coniecturam recipiendam esse puto nec assentior scholiastae dicenti Pindarum in laudem patriae suae pompam ex Tanagra deductam finxisse. — Nixus enim Mueller est hoc testimonio (Steph. Byz. s. v. *Τέγυρα*): *Τέγυρα, πόλις Βοιωτίας, ἐν ᾗ Ἀπόλλωνά φασι γεννηθῆναι. Σῆμος δ' ὁ Δήλιος τὴν Ἀπόλλωνος γένεσιν οἱ μὲν ἐν Λυκίᾳ ... οἱ δὲ ἐν Τεγύρᾳ τῆς Βοιωτίας φασίν ... Καλλισθένης ... εἶναι μαντεῖά φησι .. τὸ δὲ κυριώτερον ἐν Δελφοῖς, ὃ καὶ μάλιστά φασι μεμαρτυρηκέναι τὴν ἐν Τεγύρᾳ* (scilicet *γένεσιν*, ni fallor, propter Deli aemulationem). Quo testimonio ductus correxit: „*ἐκ Τεγύρας*". Huc accedit, ut Delii ipsi quondam ex insula eiecti eam fabulam, qua Tegyrae deus natus esse dicebatur, agnoscere cogerentur (cf. Herodot 6, 118). Equidem haud intellego, cur, quamquam Apollo Tegyrae natus esse ferebatur, non possit ferri deum ex Delo Delphos proficiscentem Tanagram devertisse. Ex omnibus

locis, quos de sacro Delio contuli, satis apparet ibi cultum exstitisse antiquissimum, praesertim cum Diogenes scripsisset: *πατρὶς Ἀπόλλωνος*. Et facile potuit fieri, ut pro Delio, quod sacrum tantum erat Tanagraeum, Pindari tempore, diceretur omnino Tanagra.

Fabula autem illa, quam Pindarus significaverat, Apollinis Tanagram deversi, artissimo vinclo coniuncta esse videtur cum memoria religionis Apollinaris in illis finibus propagatae.

Tamen hanc quaestionem, quippe de qua viri doctissimi Curtius (Wegebau p. 29/30; 37/39), Scholderer (l. c. p. 58 sqq.), Toepffer (Beitraege p. 122 sq., 118 sq., cf. Herm. 23 [1888], 325 sq., 321 sq.) luculenter egerint et demonstrarint utramque urbem, Athenas atque Tanagram ad viam illam sitam fuisse, absolutam esse puto. Quam ob rem, cum non habeam, quid adiciam, plura verba de his rebus non faciam.

Restat, ut aliquid addam de dei simulacris. Simulacrum illud, quod Phoenices rapuerant, praeclarum fuisse notum est; fuit enim antiquioris aetatis et Herodoto teste *ἄγαλμα κεχρυσωμένον*. Quod quis artifex fecerit, nullum exstat testimonium, ex quo comperiamus; neque de Apollinis urbani simulacro certiores facti sumus. Attamen nonnulli nummi Tanagraei praebent Apollinis imagines, quae ad simulacrum illud spectare videntur:

Mionnet II, 108 no. 91: R. Apollon nu debout, de face, tenant une branche de laurier dans la main dr., et un arc dans la g. Brit. Mus. p. 65 no. 57: R. Apollo naked, standing, facing, holding laurel-branch in r., and bow in l. Mionnet Suppl. III, 521, no. 108: R. . . . ., et de la gauche une lyre. Praeterea addendi sunt nummi, qui describuntur in Mus. Brit. 65, no. 59, apud Mionnetum (l. c.) p. 523 no. 116, 520, 99: hoc in nummo caput dei laureatum expressum est.

Corrigenda sunt:

p. 14, l. 32 „acciter“ in „*acriter*“. — p. 24, l. 8 „1855“ in „*1885*“.
p. 28, l. 21 „Boeotarum“ in „*Boeotorum*“.

Auctoris vita.

Natus sum Carolus Thilo Buslepp a. d. VIII. Kal. Iun. anni MDCCCLXXV Buttstadiae, in oppidulo Vimariensi, patre Godofredo, matre Theresa e gente Hoyer, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus anno 1889 receptus sum in gymnasium Vimariense, cui praeest vir doctissimus Ludovicus Weniger. Vere anni 1896 maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ut stipendia mererem. Absoluto militari officio almam litterarum sedem Lipsiensem adii studiisque me dedi maxime philologis et historicis. Ubi me docuere viri doctissimi Biedermann, Cichorius, Gardthausen, Immisch, Lamprecht, Lipsius, Ribbeck, Schneider, Sievers, Struempell, Wachsmuth, Zarncke. Per tria semestria ibi versatus Ienam me contuli, ubi viri me instruxerunt clarissimi Delbrueck, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Liebenam, Liebmann, Lorenz, Noack, Pick.

Fui sodalis ordinarius:

proseminarii philologi moderante Immisch per ter sex menses,

seminarii philologi moderantibus Gelzer, Goetz, Hirzel per quinquies sex menses,

seminariorum historicorum moderantibus Cichorius, Gelzer, Liebenam, Lorenz per octo semestria. Denique

exercitationibus archaeologis, quas moderabantur Noack et Schneider, interfui per bis semestre spatium.

Quibus viris omnibus nec minus illis, qui antea in gymnasio litteris me instruxerunt, gratiam habeo semperque habebo; in primis vero Henricum Gelzer et Ludovicum Weniger, qui studia mea benevolentissime fovebant, pio gratoque animo prosequar.

